



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Exemplar Diplomatum Pontificiorum contra Propositiones Bajanæ. Et
contra Doctrinam Iansenij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

Exemplar Diplomatis Urbani VIII.
 Anno 1641. Confirmantis Constitu-
 tiones Pij V. & Gregorij XIII. con-
 tra Propositiones vulgò Bajanæ ab
 iisdem prohibitas &c. Item, Consti-
 tutio Alexandri VII. & Prædecesso-
 ris contra Propositiones Cornelij
 Iansenij: Et alia huc pertinentia.

Quoniam in hoc Opere, & in aliis hoc tem-
 pore Controversiis non rarò occurrit
 mentio prædictorum Dogmatum, & Quæstio-
 num ex illis emergentium: hinc sæpe dubitatur,
 qualia sint singula dogmata, quo modo, tem-
 pore, tenore proscrip̃ta. Per commodum igitur
 pluribus erit, præsertim Missionariis, si hic ipsa
 Pontificum Diplomata, & dogmatum seriem,
 ac verba integrè exhibeamus. Ut quoties de his
 dubium exoritur, ad primævum, & sincerum
 Fontem facile recurratur.

Urbanus Episcopus servus
 servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Eminenti Ecclesiæ militantis Sede, meritis
 licèt imparibus constituti, sedulò meditamur,
 ut quæ, ad fidei Catholicæ conservationem, à
 Prædecessoribus nostris providè statuta, & or-
 dinata sunt, firmiter perpetuò observentur; &
 cum

cum opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmentur. Dudum siquidem à fel. record. Pio Papâ V. Prædecessore nostro emanavit Constitutio tenoris subsequens, videlicet, PIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas, in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis Opinionibus conflictetur, Christi que populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios, atque alios errores passim, & promiscuè deferatur. Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ, simul atque prosilunt, penitus opprimantur: Magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, spectatæ aliqui probitatis, & doctrinæ, in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque eis, etiam in Scholis, invicem controversantur; cujuscumodi sunt sequentes.

1. *Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.*

2. *Sicut opus malum ex naturâ suâ est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex naturâ suâ est vitæ æternæ meritorium.*

3. *Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.*

4. *Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.*

5. *In promissione factâ Angelo, & primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sine aliò respectu, vitæ æternæ justis promittitur.*

6. NA-

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt prima creationis munera; sed juxta modum loquendi Scriptura sacra non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundum usum sacrae Scripturae, nomine gratia, ea tantum munera intelliguntur, quae per Iesum Christum male meritis, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio poena temporalis, quae, peccato dimisso, saepe remanet, & corporis resurrectio, proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie, & justè in hac vita mortali, usque in finem, conversati, vitam consequimur aeternam, id non proprie gratia Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constituta, iusto Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali constitutum est, ut iusto Dei judicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

12. Pelagij sententia est. Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Caestis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quòd sunt conformia legi, quòdque per ea praestatur obedientia legi.

14. Opera bona Iustorum non accipiunt in die Iudicij
extremi

extremi amplioſiorem mercedem, quàm juſto Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quòd qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; ſed in eo ſolùm, quòd obedit Divina legi.

16. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequentur, niſi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Juſtitia, & Temperantia, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humana natura ſublimatio, & exaltatio in confortium Divina natura, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

22. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos 2. Gentes, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.

23. Abſurda eſt eorum ſententia, quæ dicunt, hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret.

24. A vanis, & ocioſis hominibus, ſecundùm inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum reiicienda eſt, Hominem ab initio ſi conſtitutum, ut per dona naturæ ſuper addita, fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas prima creationis non fuit indebita humana natura exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ij sunt, & latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vita negant; sed etiam quicumque aliunde, quàm per ipsum in vitam justitia (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratia ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, at ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta, & sincera, qua est corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, qua est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus, justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, qua in Baptismi lavacro demùm percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis vidilcet, quo Deus amatur, ut auctòr naturæ; & gratuitu, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimonijs, excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex solâ Philosophiâ, per elationem præsumptionis humane, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus,

37. Cum

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducet, agnoscit.

38. Omnis amor creatura rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, qua à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominantì cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

42. Iustitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, qua est operum Iustitia, non autem in gratia aliqua anime infusa, qua adeptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divina natura consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, qua à fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis iustitia, non tamen ipsi obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate, Deo homo inhereat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis questio est, sed causa, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde

47. Vnde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48. Peccatum originis est, habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnat.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.

54. Diffinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsè tribuitur Augustino; cum Pelagij sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57. Vnde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministro Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat; ministro

nisterio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentia opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactis nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartuntur, ut dignissimus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis, liberemur.

61. Celebris illa Doctorum distinctio, Divina legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad preceptorum operum substantiam tantum; altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni aeterni, eò quod fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divina Legis justitiæ implentur, similiter rejicitur.

64. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, quæ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vita nova propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, quæ vivificatur, qui verè justificatur & patet vivus in Vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

65. Non

65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrij bonus, siue non malus; & gratia Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit.

68. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est predicatus, peccatum est.

69. Iustificatio impij fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiae, qua per eam iustificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, siue in reatu aeterna damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu aeterna damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur erimen, extra casum necessitatis, aut Martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino Iustorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde, & Iob, & Martyres, qui passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo praeter Christum, est absque peccato originali, hinc Beata virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut, & aliorum Iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alij habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiae, sunt, pro statu hominis vitiiati, prohibiti praecepto, Non concupisces; Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur praeceptum, Non concupisces; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quam-

76. *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis indiligente est, non facit præceptum. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. *Satisfactiones laboriosa Iustificationum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatum.*

78. *Immortalitas primi Hominis non erat gratia beneficium, sed naturalis conditio.*

79. *Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse à Deo creari, & institui sine Iustitia naturali.*

Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthac, quoquo pacto, loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscumque interdiciamus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo, nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. Caterùm, ut jam commori his de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur. Dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Bartholomæ; in Insulâ Presbytero Cardinali Granuelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem, quid

quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Ecclesie Catholicae satisfactione componendam, facto opus sit, in primis diligenter expendat; deinde in iis omnibus, quae pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiae praedictae unitate, etiam per alium, seu alios, fide, doctrina, & religione praestantes, ocyus exequatur, faciatque, quidquid decreverit, inviolate ab omnibus observari. Contradictores quoslibet per censuras, & poenas praedictas, caeteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo; Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij saecularis: Non obstantibus, quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem: Et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Indulgentiis, & litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Pe-

tri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incur-
furum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum
Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quin-
gentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Octo-
bris, Pontificatus Nostri Anno secundo.

*Postea inseritur in eandem sententiam Constitutio
Gregorij XIII. edita 4. Kal. Feb. anno 1579. Ipsa vero
Vrbani Constitutio edita est Roma anno 1641.*

N O T A.

Circa tenorem prædictæ Bullæ, cæperunt ali-
qui contendere, non debere apponi Comma si-
ve virgulam, quæ superius notatur post illa ver-
ba, *susineri possint*, ac si sensus esset, ex illis pro-
scriptis Sententiis, nonnullas aliquo pacto sus-
neri posse in rigore ac proprio verborum sensu
ab assertioribus intento. Verùm ne ulla profus
remaneret ansa dubitandi, curavit Pontifex de-
putatis Academiæ Lovaniensis Romæ existentibus
per tres Cardinales Bullam ritè notatam, &
authenticam in manus consignari. Idque testatur
ipsum S. Congregationis Decretum datum
16. Junij an. 1644. cujus hic verba subiicio.

*Sanctitas sua omnibus ritè perpensis, & consideratis,
mandavit ex Archivo ejusdem Congregationis, & ex
Matriæ Actorum, quæ in eodem Archivo conservantur,
extrahi sive transcribi, & diligentur collationari, ac im-
primi exemplar præfata Bullæ, illudque sic extractum,
collationatum, impressum, iisdem Sinichio & Pappo
(deputatis) per prædictos DD, Cardinales Spadam,
Pamphiliam, & Falconerium consignari &c. Tradita
autem est illis Bulla cum dicto Commate per
eosdem Cardinales, præsentem etiam Sacræ Gen-
Inquisitionis Assessorem Francisco de Albicis,
tunc S. R. E. Cardinali, die 29. Julij. 1644.
Possint*

Possint et hodie ejusdem exempla satis authentica exhiberi. Et sanè res per seipsam manifesta est. Vana namque esset Constitutio Pontificia *Damnans, circumseribens, abolens* aliquas Propositiones, quæ tamen sustineri possint in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento: quæ enim sic sustinere possint, non pro damnatis, sed absolute pro legitimis et veris in quovis tribunali habendæ forent.

ALEXANDRI VII.

Constitutionis Innocentij X. Confirmatio, & Declaratio contra doctrinam Iansenij.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Universis Christi Fidelibus salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ad sacram Beati Petri Sedem & Universalis Ecclesiæ regimen inscrutabili Divinæ providentiæ dispositione nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quàm ut Sanctæ fidei nostræ ac sacrorum dogmatum integritati traditâ Nobis à Deo potestate opportunè consulere. Ac licet ea quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ decisionis sive declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, ptomp-
tum

tum Apostolicæ Auctoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidem aliàs à felicis recordationis Innocentio PP. X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio & Definitio tenoris qui sequitur, videlicet:

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Vniuersis Christi-fidelibus Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, Complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, uti easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum Propositionum est prout sequitur.

Prima: Aliqua Dei præcepta Hominibus justis volentibus, & conantibus secundum presentes, quas habet vires, sunt impossibilia, deest quoq; illis Gratia, qua possibilia fiant.

Secunda: Interiori Gratia in statu Nature lapsa nunquam resistitur.

Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu Nature lapsa non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset Humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò Hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex Alto commissa, purgatis pravæ Opinionum erroribus, turò militare, & tamquam Navis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus

bus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis Portum pervenire possit, pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem Quinq; Propositiones, uti supra Nobis oblatas, fecimus singulatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relatamaturè consideravimus, eosdemq; Magistros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè super eisacm, ac super earum qualibet differentes audivimus. Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad Divinum implorandum Auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus Assistentia, tandem Divino Numine favente, ad infra scriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionem: Aliqua Dei præcepta Hominibus Iustis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent Vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, Impiam, Blasphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: Interiori Gratia in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratia Interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana Voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam & Hæreticam declaramus; & uti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus

omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse; Falsam, Temerariam, Scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit: Impiam, Blasphemam, Contumeliosam, Divina Pietati Derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, predicare aliter præsumant, quàm in hac præsentis nostræ Declaratione, & Definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut Contradictores, & Rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cateraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) Auxilio Brachii Sacularis, omninò coërceant, & compeſcant. Non intendentes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem super prædictis Quinque Propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Iansenii. Datum Roma apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno Nono.

Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas Quinque Propositiones vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Iansenii non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse asserere magno cum Christi-fidelium scandalo non reformident; Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus

omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica Auctoritate eadem causa discussa est eâ profectò diligentia quâ major desiderari non posset; quamcumque dubitationem super præmissis imposterum auferre volentes, ut omnes Christi-fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis Officii ac naturâ deliberatione præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem Declarationem & Definitionem harum serie Confirmamus, Approbamus, & Innovamus, & Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse Definimus & Declaramus, & uti tales, inustâ scilicet eadem singulis notâ, quæ in prædicta Declaratione & Definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus ac eundem librum sæpè dicti Cornelii Jansenii, cui titulus Augustinus, omnesque alios tam manuscriptos, quam typis editos & si quos forsan imposterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii doctrina, ut supra, damnata defenditur vel adstruitur, aut defendetur & adstruetur, damnamus itidem atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi-fidelibus ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel scripto exponant, vel interpretentur publicè vel privatim, palam vel occultè, imprimantve sub pœnis & censuris contra Hereticos in Jure expressis, ipso facto absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Locorum

Ordinariis ac Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus ac Judicibus Ecclesiasticis ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem juxta præsentem nostram determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis aliisque juris & facti remediis, invocato etiam si opus fuerit brachii sæcularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoræ, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, decimo-septimo Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

N O T A.

Præter hanc doctrinæ damnationem cum Innocentio X. Prædecessore communem, in hac Bulla Alexandri VII. insuper disertè definiti, easdem quinque Propositiones ex libro Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Cernelio Jansenio intento damnatas fuisse. Quia nempe aliqui prætendebant, Propositiones illas fuisse damnatas in sensu ab Authore non intento. Quinimo addebant alii, hanc rem de sensu Authoris, tanquam ad quæstionem facti pertinentem, non potuisse à Pontifice infallibili autoritate definiti, quod refutatur supra *part. 1. quæst. 5.*

Sed ut de sensu ab Authore intento plenè satisfiat Lectori inconcussæ veritatis studioso, oportuum erit hic exprimi ipsam Constitutionem Alexandri VII. editam ad instantiam Regis Christianissimi, quâ præscribitur forma subscribendi Bullæ Pontificiæ supra recitatæ.

Decretum